274

MELISSA.

Melissa, Matthiolo, Dodoneo: Melissa vulgaris, Parkinson. Melissa hortensis, Casparo Bauhino: Melissophyllum, Tabernemontano, Cortori: Apiastrum, Cordo, Lobelio: Citrago, Gesnero; Torongil, et Torongina, Hispanis dicitur, ob Citri quem refert odorem. Verticillata est herbacea. Flores habet perfectos, irregulares, monopetalos, barbatos et galeatos, barba tripartita, galea divisa, ad unum latus inclinantes, ita ut iuxta Rivinum semiverticillata dici possit, rarius per verticilla dispositos, in uno pediculo è cuiusq. folij sinu egresso plures confertos, non ut in Calamintha sparsos. Semina fert quaterna nuda, longa, in perianthio aperto latitantia. Folia atrovirentia, coniugata, Calaminthe maiora. Tota planta Citri odorem spargit. Floret Julio, in hortis, et umbrosis humidis. Perennat radice.

Est Melissophylli sylvestris genus, Melissa Romana dicta, molliter hirsuta, et graveolens. Floret Julio similiter, et radice perennat.

Melissophyllum Fuchsij, non est Melissa, sed Lamium montanum Melissæ folio, amplis folijs, et floribus non grati odoris. Floret Junio in sylvis editioribus. Perennat radice.

Analysis. Melissa vulgaris, nostras, constat sale blando volatili oleoso fragranti, odoris grati, saporis aliquantulum acris. Ammoniacum, volatile et Mercuriale, parum olei habens. Herba scilicet salsa, volatilis, et aliquantulum oleosa, cum acredine pauca.

Egregia, et excellens planta Melissa est. Colligenda tempore balsamico, Luna scilicet decrescente, quando in Arietis, Leonis, et Sagittarij signis versatur. Convenit in Capitis affectibus, unde valet epilepsiæ, apoplexiæ, paralisi, vertigini, melancoliæ, et frigidis cerebri affectibus. Memoriam confortat, et ingenium acuit. Spiritus ex eadem herba per fermentationem destillatus, vel aqua eiusdem spirituosa similiter destillata, omnia prædicta facit, mentisq. facultates, et capitis operationes promovet. Sanguineam depurat massam, cordialis et celeberrima, unde essentia Melissæ Paracelsi, de qua Boyle, et le Febure mentionem faciunt, hominem renovat, ut et aqua eiusdem Melissæ multoties per destillationem repetitam cohobata. Hanc in se ipso Boerhaave cum utilitate expertus est: ipsamq. proprijs manibus pro Comite de Luna

Domino, et Amico meo benignissimo ipse paravi; et primum ens Melissę pro eodem similiter.

Prostratas vires Melissa reparat, palpitationem Cordis, et lipothimias grate pollit. Aqua ex ea praeparatur cum vino, et corticibus Citri recentibus, quę per rectificationem transit in spiritum, et hic per foliorum Melissę recentium iteratam crebram infusionem in nobilissimam degenerat essentiam, quę mentem exhilarat, et lętificat, palliativamq. iuventutem inducit. Essentia cum spiritu proprio, vel vini extracta, Melissę vires habet. Cubitum ituris si sumatur foeda pollit insomnia, et cordis affectibus succurrit. omnibus corporis internis dispositionibus resistit, venenis adversatur, sensus auget, syncopem tollit, flatus discutit. Simon Pauli sequens remedium in Chlorosi melancolica expertus est. ℞ Conservę Melissę, ℥.j. borraginis, buglos, ana ℥ß. confect. alkermes, ℥j. cum syrupo quinq. radicum aperitivarum f. confectio; cuius usus post universales evacuationes. Arcanum Riverii ad maniam. ℞ foliorum Melissę p.j. inf. in ℥iv. spiritus vini, et adde margaritarum pp. ℥ß. Dentur cochlearia duo.

Eo quod deficientes spiritus refocillat, atq. restaurat, uterina est maxima. Melissę decoctum menses movet, animum addit, uterii torminia, et dissenteriam tollit. Folia cum camomilla in aqua, vel vino cocta in sacculo, et applicata, in matricis praefocatione, et Lapiu, mensium retentione, et lumbagine remedio sunt. Essentia eius cum vino, pulsibus, et cordis regioni imposita in syncope, et palpitatione experta est, a Helideo, Hartmanno, et Foresto. Oleum destillatum Melissę, vel in eius defectu essentia, mixta cum aqua confortanti, et oleo Scorpionum composito, pro frictione pulsuum, et temporum, in peste, et febribus malignis, mirabiliter operatur. Cordis tremori aqua eiusdem Melissę spirituosa cum margaritis praeparatis sumpta paroxysmi tempore, et cordi applicata, multoties experta fertur. Pulvis Melissę in vino sumpta, et cum eadem herba emplastrata, veneris, et omnibus morsibus venenatis valde prodest.

Stomachi cruditatibus acidis, omnia ex Melissa medicamina valent, et appetitum depravatum emendant. Summatim Melissa est Cephalica, cordialis, uterina, et stomachalis roborans.

Aqua destillata simplex Melissæ, communis est usus in passionibus hystericis, et in officinis servatur. Syrupus ex ea, vires habet Melissæ, sed iuxta consilium Ettmulleri, quia syrupi minus utiles in Medicina sunt, eiusdem essentiæ præferuntur.

Denique Melissa inter uterina confortantia primatum obtinet, iuxta Ludovicum, et Ettmullerum. Aqua eiusdem spirituosa simplex, vel composita ex aquæ Cinnamomi, caryophyllorum, apoplectica, mentha, simplici, ac proportionali confusione, pro Hysteria eligitur à Ludovico.

Aquæ vitæ Mulierum Melissa præcipuum est ingrediens, quæ paratur ex Melissæ recentis bona quantitate, salviæ, rutæ, et spicæ uno altero ve manipulo, ut et Cinnamomi, ac Caryophyllorum, ac Zedoariæ debita proportione cum aqua simplici, et aliquota spiritus vini parte per vesicam destillatur, quæ etiam calculosis, siticulosis, hæmorragiis nimiis, &c. in et extra paroxysmum quadret. Aqua altera Hysterica fit eidem Ludovico, si p.ß. huic aquæ vitæ mulierum infundatur Castoreum. Vel compendiosius: Melissæ Spiritus abstractivus destillatus, esse posset loco Mixturæ Antihystericæ et Aquæ vitæ mulierum, præsertim si addatur (pro iis quæ eam ferre possunt) essentia Camphoræ.